Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Corrigit culpas & emendat errorem. Et dicit ad moysen
ut sumat uirgam & percutiens petram educat eis aquas;
Uult enim eos iam de petra bibere. Uult eos proficere
& ad interiora uenire mysteria; Murmurauerunt enim
aduersum moysen. Et propterea iubet dns ut ostendat
eis petram ex qua bibant. Si quis est qui legens moy
sen murmurat aduersum eum & displicet ei lex quae
secundum litteram scripta est quod in multis non uidetur
seruare consequentiam. Ostendit ei moyses petram
quia est xps. & adducit eum ad ipsum ut inde bibat & re
ficiat sitim suam; sed haec petra nisi fuerit percussa
aquas non dabit. Percussa uero fontes producit; per
cussus enim xps & in crucem actus. Noui testamenti fontes
produxit. Et propterea dictum est de eo quia percu
tiam pastorem & dispergentur oues. Necesse ergo erat illum
percuti; Nisi enim ille fuisset percussus & exisset de la
tere eius aqua & sanguis. Omnes nos sitim uerbi di
pateremus; hoc est ergo quod & apostolus inter
prelatus est. ✕ Et omnes eundem spiritalem potum
biberunt. Bibebant enim de spiritali sequenti petra.
petra uero erat xps. Obserua tamen quod dixit hoc
in loco dns ad moysen; antecede populum & duc tecum
maiores natu. id est presbiteros populi. Non so
lum moyses ducit populum ad aquas petrae sed

✕ quia omnes eundem spiritalem manducauerunt cibum